THESES
JURIS CIVILIS ET CANONICI

Quas

SUB AUSPICIIS

Celsissimi ac Reverendissimi Principis

D. CASIMIRI
LUBIENSKI

DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ

EPISCOPI CRACOVIENSIS,

DUCIS SEVERIÆ,

Serenissimæ ac Potentissimæ

REIPUBLICÆ POLONÆ


Supremi Ordinis Senatoris Amplissimi,
Comitis in Lubna &c.

In Alma Universitate Pisana publicè disceptandas proponit

ABBAS GEORGIUS DE MELIORUCIIS
WIENTZLAWSKI.

Nobilis Polonus, Patritius Cracoviensis, Canonicus Cathedralis Chelmensis,
Regii Ordinis Aquilæ Albæ, seu Aureæ Crucis Militiæ Eques,
Dominus Feudi in Wientzlawize.





ROMÆ, MDCCXVIII.
Apud Franciscum Gonzagam, in Via Lata.

[redacted]

175


PISCOPVS.CRACOVIENSIS.DVX SEVERIÆ &c.
ASIMIRVS COMES IN TVRNA TVBIC

IN ARMA GENTILITIA
CELSISSIMÆ DOMUS
LUBIENSCIANÆ.

NE ſperne effigiem præſenti in ſtemmate pictam;
Nobile & Herculeum ſignificatur opus.

URO etenim æquanti in ſilvis feritate Leonem,
Transfigi enſe caput, gloria rara fuit.

URUS ſilvarum terror cædem appetit, hoſtis
Et pecudum atque hominum, ſævus & indomitus.

Ergo illum HEROEM LUBIENSKI è ſanguine cretum
URUM qui ſtravit robore, ſtemma notat.

Vectorem Europæ poſitum inter Sydera Taurum
Scimus, at URI hujus non minus ora micant.

Luce micant Stirpis, cujus Decora alta perennat
Non intermiſſis conſcia fama ſonis.

Luce micant tot Virtutum, quæ PRINCIPIS ornant
Magnam animam, & veluti ſydera juncta nitent.

Te veneror LUBIENSKA Domus, luce omnia complens:
Cæleſte ut SIGNUM, nobile ſtemma micat.

Celsissimo ac Reverendissimo
PRINCIPI
DON CASIMIRO LUBIENSKI
EPISCOPO CRACOVIENSI,
Duci Severiæ, Comiti in Lubna &c.
Domino, Protectori & Mæcenati Colendissimo.

GEORGIUS MELIORUCIUS
Felicitatem.



Onsultum cumulatissime meis rationibus non Fortuna, cui nullum jus in res humanas, sed Divina Providentia voluit, quòd natale solum in POLONIÆ *nobilissimo, amplissimoque Regno sortitus fuerim, atque in ea Urbe editus in lucem, quam Tu,* PRÆSUL *Illustrissime, supremum in ejus Civitatis Ecclesia dignitatis verticem*

te-

tenens, ad Religionem, quæ Tibi in primis cordi est sartam tectamque servandam, iustissimis sanctissimisque Legibus moderaris. Etquamuis in Italiam digressus, ut Jurisprudentiæ darem operam, & quam ob causam patriis a laribus divulsus fueram id præstare curis assiduis laboreque tentaverim; attamen ut de Ulisse fertur, in illo errore viarum Ithacam tamen Patriam suam jugiter respexisse: sic ego illam SARMATICO *sub Cælo egregiam præstantissimamque Urbem* CRACOVIAM *vetustate originis, & gloria imperandi percelebrem, Teque ejus* PRÆSULEM *maximumque Principem obvium menti meæ semper habui: neque tam dissita, spatiisque tàm ingentibus disiuncta à patrio solo Italiæ regio, obstitit quominùs assiduè obversareris animo & quominùs Tuorum ornamenta meritorum tantæque amplitudinis præstantia venerationem meam, jure quodam suo, sibi vindicaret. Nunc verò dùm* SOLIO *Tuo procumbens propiùs ad Te videor accessisse, Tuoque conspectu perfrui, has Tibi primitias laborum meorum ausus consecrare; sicuti Memnonis statuam Solis exorientis contactam radiis sonum effundere proditum est, fierique canoram: pariter exuberans Gloriæ Tuæ Splendor, quo quasi perfundor, id efficit secreta vi quadam ineffabili, propriaque Virtutis, quæ omnes in sui admirationem abripit, ut hæc species insuetæ pulchritudinis iniecta menti sensus intimos agitet, excitetque in laudes & præconia; & quin impetum sequar ad rem tentandam, tam præclaram, tam debitam, tam opportunam, facere non possum. Id enim maximè convenit in fronte operis: ut videmus in ædibus labore immodico & artificio extructis, quò sint augustiores, hærois alicujus fama celebris simulacrum collocari, impressam sibi sculptoris manu elegantiam exerens, molemque per universam transfundens; sic Virtutum quibus*

Homer. Odyss. [Lib]ro 1.

Cæl. Rhodig. [T]omo 3. Lect. Li[br]o 22. cap. 5.

excel-

excellis præstantiam repræsentando, plurimum ornamenti ex TUI *auspicatissimi Nominis gloria in has lucubrationes qualescumque sint, derivabit. Et verò merereris, Celsissime* PRINCEPS *exornari quadam incredibili vi ac facultate dicendi; nam ut Cato major sapienter ajebat, præclara facta, præclaris sunt orationibus decoranda: merereris, dùm Italo sub Cœlo Tuarum præstantia Virtutum est evulganda, dùm tempus offerri videtur ingenio frena laxandi, liberiusque expatiandi, splendidam Orationem, magnificam, excelsam, spirantem aliquid generosum, augustum ac sublime. Sed ego legibus Panegyris solutus, obsequii tantùm partes exequar; quod nil diù meditatum reposcit; quod rebus se primò offerentibus gaudet, popularesque æmulatur acclamationes, quæ fingendi tempus excludunt. Alius eloquentis, alius humillimi animi conatus. Eloquium ad prædicationem honorificam magnum quiddam moliatur necesse est; veneribus depluet ad aurium delicias; attollet se se ad admirationem captandam, dicendique opes divitiasque omnes profundet; Obsequium præter optimum studium nil sibi gloriæ ducit, præter observantiam nil quærit. Ordiar igitur, meque geram ùt potero; nil pudore deteritus.*

Plutarch. in Apophtegm.

— ut infirmæ possint subsistere vires.

Tibullus in laud. Messalæ.

Quamquàm ipsa per se CRACOVIENSIS *Episcopatus dignitas amplissima est, sive Ditionem ejusdem late patentem, sive Auctoritatem imperandi quàm maximam, sive insignium privilegiorum prærogativas, decus* INFULÆ *augentium, spectare libeat; Idem tamen hoc* SOLIUM *quod Divina Providentia, Celsissime Princeps, Tibi jam dudum astruxerat, ubi primùm ascendisti, Pastor gregis votis omnium antea expetitus, Antistes sacrorum, plausibus gestientium admirabiliter exceptus, ma-*

gnum

gnum ex quo illud occupasti, gloriæ honorisque suscepit incrementum. Quot enim avitis decoribus, non in orbe tantum sarmatico, sed in omni regione terrarum splendet LUBIENSCIA *propago, quæ multis jam sæculis famam sui per omnes gentes disseminavit! Poterunt elabì sæcula, tacitèque se voluentia, & ipsa vetustate rebus pulcherrimis poterunt inferre caliginem, & omnia edaci dente proterere; tantam tamen prçcelsamque* LUBIENSCII *Generis dignitatem, vel imminuere, vel oblivionis nube contegere, vel tam multas Gentilium imagines ex atriis pendentes decolorare non poterunt. Poterit* Fortuna *jactare se rerum humanarum Arbitram;* Familia *hæc Virtutum, rerumque gestarum fundamentis firmissimis immotisque superstructa, nullum ab ejus vicissitudine poterit exitium extimescere. Sed neque mortis sævities humanæ vitæ cursum abrumpens, pervicit, ut præcellentium Virorum fama interiret, quorum hçc* Familia *altrix extitit fçcundissima; propterea quòd, veluti decidentes è Cœlo ignes signatum flammis iter relinquunt: ita illi sparsa reliquere vestigia virtutibus, quas omnis admirabitur posteritas. Annosa hæc Arbor viridi adhuc senectute frondescit, jugiterque se vegetat, & diffuso in Cœlum vertice sublata, ostentat e felicibus ramis suspensa tot Principum insignia, tot Imperatorum vexilla, tot Senatorum clavos purpureos, tot devictorum hostium trophęa, tot Sacras Antistitum Tiaras. Athenis ferunt aram* Prometheo *dicatam fuiße, unde succensam lampada gestantes pulcherrimi certaminis initia auspicabantur; cujus ea* Lex*, ut toto cursu inextinctam servarent facem, emensoque per unum spatio, posterior cursor facem posceret, atque ita per vices, lampas, ex uno, in alium transferretur. En quales* LUBIENSCIÆ *Domus in decursu vitę Majores extiterint; dedere ope-*

Pausan. lib. 1. pag. 121.
Cæl. Rhodig. Tomo 2. Lect. Libro XI. cap. 27.
Plato de legib. Libro VIII.
Lucretius Libro 2.

operam, ut Virtutem quasi tædam ardentem sequacibus traderent, essetque apud eos perennis illa lux verè e Cœlo terris illapsa, perennis ille ardor gloriæ, qui ad omnem honestatem animos perurit. O quam splendida eorum Virorum series menti ostenditur, quos penes ejus inextinctæ facis, Virtutis nimirùm, extitit continuata progressio! Se se offert ILLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS *Dominus* NICOLAVS *de Lubna ab* HEBDIIS & NIEVIESSIIS *descendens* LVBIENSKI, *Princeps Palatinus Sieradiensis; cujus Viri laudem, ad sempiternam memoriam ipsa denominatio generis ab eo ducta, propagavit. Se se offert* ILLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS *Comes* ANDREAS LUBIENSKI, *supremus Regni Thesaurarius, Gloria Nobilium, lausque decusque Ducum: Qui paratus ostendere nil esse tàm heroicum, quàm aut pro Religione mori, aut pro Religione vincendi gloriam comparare; in prælio contra Crucigeros, non dubitavit ire obviam eorum conatibus: per infestos gladios & tela micantia irruere; strenuèque pro Christo cruore profuso, palmam retulit in Cælis gloriosissimam, in terris vero famam numquam interituram. Spectabilem quoque se præbet, multisque de Republica meritis conspicuum,* SVENTOSLAUS LUBIENSKI *Castellanus Sandomiriensis; cui felicitas hæc obtigit, ut filios plures amplissimis Dignitatibus ornatos viderit, ad eumque immortalis gloria redundarit. Proh qualis etiam quantusque occurrit* CELSISSIMUS PRINCEPS MATHIAS LUBIENSKI *Archiepiscopus olim Gnesnensis, & Domesticæ amplitudinis, & Patriæ grande incrementum; qui hanc ad posteros transmisit gloriam, ut* PRIMATVS *maxima Dignitas, in* LVBIENSCIA *Domo consederit.*

Sub Casimiro II Poloniarum Reg[...]

Alter ille, cujus frontem Polocensis Insula exornat, est ILLUSTRISSIMUS, EXCELLENTISSIMUS & REVERENDISSIMUS Dominus STANISLAVS LVBIENSKI, tam carus acceptusque SIGISMVNDO III. Poloniarum Regi Potentissimo: ut eumdem inter Regni Proceres Clavo ornatum sedere voluerit, ad gradum SENATORIS evectum; Quæ Dignitas quanta sit, quis ignorat? Jam verò quodnam spectaculum, aut pulchrius aut magnificentius, quàm hunc Virorum ordinem cætumque præstantissimum intueri, qui singuli facem Virtutis lucifluam semper, inextinctamque servarint! Si eorum omnium res gestas, si studia, si contentiones & impetus ad gloriam, si magnitudinem animi, si pietatem, si curam tuendæ Religionis anxiam atque solicitam, si Patriæ amorem, si cultum ingenii, sapientiam, prudentiam singulorum fando exponere aggrederer, quem nam exitum inveniret Oratio?

Quamquàm, neque hoc opportunum, neque necessarium; nam utcumque huic parcam labori, non tamen quasi tenebris obrutæ tot Virtutes Majorum jacebunt, nec in vasto illo nostrę fragilitatis aceruo delitescent: Qvum tot Gentilium Tuorum CELSISSIME PRINCEPS, Virtutes ante omnium oculos ipse constituere videaris, earumque in Te imaginem vivam spirantemque intueamur; ut sicuti non defuerunt Philosophi, qui dixere stellas, quæ nocturno tempore cernuntur, totidem esse nitidissima specula, quibus sol absens repræsentatur: sic qui Te cernit, translatas in Te cælestes illas species, & in Te quasi ducta priscæ lineamenta sapientiæ jure possit existimare; quamobrem, etsi hos illosue peculiaris Virtus supra vulgarem conditionem extulerit, quæ tamen divisa beatos effecere,

itian. Lib. X. ist. 1.

re,

re, in Te mixta fluunt: in Te concentus ornamentorum admirabilis, quæ Vatum, Oratorumque ingenia fatigent; unde publica Faustitas, unde materies segesque uberrima, quæ CRACOVIENSIUM *Antistitum fastus mirificè possit locupletare. Mirantur omnes Fortunam hanc Tuam cum ratione, hilaritatem cum severitate, humanitatem cum majestate, moderationem cum auctoritate concordem. Magnum hoc Patris simul ac Principis temperamentum; cùm rara admodum ejusmodi complexio sit, quæ nullo vitiorum confinio lædatur. Mirantur in Te doctrinam scientiamque rerum maximarum, non tantùm* SARMATICO *sub Cælo, studio & labore partam, sed insuper in illa Orbis terræ Regina Urbe ROMA omnium gentium Magistra, ubi cognitionum præclarissimarum medulla intima abripuisti, optimique formam in rebus Theologicis, ab auctore* Deo *quasi delibatam decerptamque: Quibus apprimè instructus, tam feliciter potes rem sacram moderari, normam rectè agendi præbere, audaciam compescere, fræna criminibus iniicere, personam denique tueri* PRINCIPIS *Ecclesiastici, tum ex dignitate supremi Numinis, tùm ex utilitate Populorum. Quantum verò eminet Tua illa erga Divinum cultum, splendoremque sacrarum ædium solicitudo, non finibus exiguis circumscripta, sed per totam pertinens peruadensque Ditionem; quam numquàm qui veræ Religionis sensum & gustum habent commendare desinent; & extant ubique Tuæ erga Deum munificentiæ, inciduntque in oculos omnium monumenta posteris monstranda: Qualis illa* CRACOVIENSI *Ecclesiæ proxima, sacro ære sonans excelsa Turris, quam male materiatam penèque collapsam, Tuis immodicis impensis e solo rursùm excitasti; molesque tam excelsa Tuum*

Tacitus Libro Annal. Plinius Panegyr. ad Traian.

jam nomen ad Sydera extollit. Quid dicam de PIETATE *quæ tantopere Tibi est in deliciis, Pastoris etiam tantoperè propria; cujus est oves commissas alere, pericula prævenire, calamitates depellere? Tuum verò animum hęc potissimùm cura occupat, ut neminem respuas de suis ærumnis conquerentem, neminem vacuum abire sinas, nullius irritas preces esse patiaris, omnibus præsidio sis & adiumento, omnibus perbenignum vultum ostendas liberalitatis, & amoris promentem tacita præsagia. Series hęc Virtutum Tuarum; & hæc quidem omnia magna sunt, & ad memoriam Posteritatis amplissima; Nec tamèn quamquàm in* MAJORIBUS *Tuis easdem extitisse deprædicem, quasi alienæ lucis objectu inobscurantur; sed in Te rutilant magis, quia non adventitio fulgore, sed proprio inclarescunt.* Felix CRACOVIA, *cui talis obtigit Antistes; Felix Grex cujus custodię tam vigil excubat Pastor; Felices populi nacti* PRINCIPEM, *qui a sapientia sciat, a Prudentia possit, ab amore velit publico bono consulere. Vosque ingentes animæ* LVBIENSCIÆ *Stirpis, quæ Beatorum estis consortium jamdudum adeptę, soluta vestri concretione corporis pro hac inevitabili conditionis humanę necessitate; si quis ad Vos ex rebus humanis sensus pervenit, gaudetis opinor, quòd Virtus Vestra, non cogitatione solùm depicta, sed posita in exemplo, & in nostro* ANTISTITE *adhuc, quasi in suo lumine collacata cernatur, & quamquàm vita functi, adhuc superstites esse videamini. Quò majore fiducia vota sunt Supremo Numini, quod Cęlesti nutu rebus humanis fata decernit, nuncupanda, ut Te diù servet incolumem, a quo tantum splendoris* CRAVIENSIS *Episcopatus Dignitas, tantumque*

deco-

decoris comparavit. *Compos fiat votorum* ILLUSTRISSIMUS ET EXCELLENTISSIMUS *Dominus, Comes* BOGUSLAUS LUBIENSKI *germanus Frater Tuus, Dapifer Regni, dulce Decus ac Delicium Patriæ, præcellentibus Magni Animi dotibus conspicuus, Fortitudine bellica celeberrimus, in causis decidendis & sententiis alter Solon, in ferendis decretis justissimus, in administrandæ munere Justitiæ* GENERALIS *Officialis diligentissimus, veri justique tenacissimus,* SERENISSIMO & INVICTISSIMO *Regi nostro* AVGVSTO II. *summè carus: in quo geminatas Tuas Virtutes videre quisque poterit; estis enim tam similes, tam concordes, ut unus pars vitæ alterius esse videatur. Verùm cùm lucem honoris & gloriæ Vestræ, laude satis persequi nequeam, conscius officii proprii animus meus, in profundum humilitatis demittitur, ac alto silentio Celsitudinem Vestram veneratur.*

Ignosces Tu vero CELSISSIME PRINCEPS *precor obtestorque, temeritati meæ, si Tuas egregias laudes hactenus inculto exilique dicendi genere detriuisse videbor.*

Nostra manus sed enim est rudis atque indocta probamque
Materiem fœdare potest non arte polire. Turneb. in Præfat. Adversar.

Enimverò hoc omnem mihi adimit perturbationem, quòd quæ per se splendent alienis non indigent ornamentis, quòdque ea effecisti, quæ facundissimi cujuscumque Oratoris præconia superarent: Unde omnes intelligent, quam magno meis Thesibus Nomen Tuum sit ornamento; & quam meritò in hac mea literaria exercitatione, a Te primùm duxerim auspicandum.

AD



AD RUBRICAM DECRETALIUM
GREGORII IX.
De Judiciis.

I.


Uod Eugenius III. Rhemensi coacto concilio *anno* 1148. *die* 19. *Martii can.* 5. relato *in cap. decernimus* 2. *de judiciis*, constituit: *ut laici Ecclesiastica terminare negotia non præsumant*, nequaquàm est novum Jus; sed quicquid fuerat à suis Prædecessoribus multis retrò sæculis Stabilitum, observatumque, confirmat; Quùm, sicuti duæ sunt in orbe Christiano Jurisdictiones, Ecclesiastica & temporalis; ita conveniat Ecclesiastica negotia Prælátorum judicio tantùm terminari.

II.

Atque hoc adeò verum est, ut statuerit Innoc. III. in *cap. qualiter* 17. *de Judic. nè pro defectu Justitiæ clerici trahantur a laicis ad Judicium sæculare; quod omninò fieri prohibemus*. Ad quem textum Augustin. Barbosa *in Collectan. numero* 2. hæc habet: *Probat hic textus, clericos ad sęculare forum a laicis trahi non debere, etiam datà ipsorum Prælatorum negligentià*. Nil repugnante Concilio Toletano IX. *in can. filiis* 16.

quæ-

quæst. 7. Nam intelligitur, hic canon, ut ait Augustinus Barbosa, de ea intimatione, cujus effectus sit, ut instantia fiat Superiori Ecclesiastico; Ita prædictus Auctor, in Libro 1. *Juris Ecclesiastici Universi cap.* 39. § 2. *num.* 187. & *in cap. Ecclesia S. Mariæ de Constit. num.* 15. Atque ita textum *in cap. qualiter de Judiciis* intelligit etiam Panimolle *Decis. XII. annot.* 3. *num.* 29. & *num.* 47. Sperellus *Decis. VIII. num.* 53. Bellett. *Disquisit. Clerical. Parte* 1. *de favore clericor. personali* § 2. *num.* 31.

III.

Imò etsi Juspatronatus a laico possideatur; adhuc tamen, eo quòd Juspatronatus ad spiritualia ordinatur ac præparat; ejus causa talis conditionis est, ut solùm debeat in foro Ecclesiastico discuti atque decidi, prout disponit Alexander III. Henrico II. Angliæ Regi scribens *in cap. quanto de Judiciis*.

IV.

E contrà tamen si accidat, laicum a Sæculari Judice citatum ordinibus initiari, postquam in jus vocatus legitimè fuerat; Novus hic Clericus, forum laicale non poterit in ea causa declinare; idque tribuendum præventioni quam legitima citatio operatur; Eò quòd canones regulam amplectuntur Juris civilis: quòd legitimé citatus, coram Judice citante causam prosequi teneatur, non obstante Privilegii prærogativa, superveniente *l. cùmquędam* 19. *ff. de Jurisd. l. siquis posteaquam ff. de Jud.* dilucetque ejusmodi Regulæ approbatio ex constitutione Gregorii IX. *in cap. proposuisti de Foro compet.* Quod tamen cum hoc temperamento accipiendum, ut novus hìc clericus distringi per sæcularem potestatem non valeat, ut habetur ex Concilio Parisiensi 5. *can.* 15. *anni* 614. sub Clotario Rege, in *cap. nullus de Foro compet.*

Simi-

V.


Similiter, ſi accidat clericum Feudum á Principe ſæculari obtinuiſſe; orta de Feudo controverſia examinanda ac decidenda erit per Dominum Feudi, ut ſtatuit Alexander III. *in cap. ex tranſmiſſa VI. de Foro compet.* his verbis: *per Dominum Feudi cauſam jubeas terminari.*

VI.

Cæterùm, ut proprium habeat Judicem Eccleſiaſticum clericus, id ex privilegio illi competit; atque hujus privilegii tanta vis eſt, ut prorogare ſæcularis Judicii Jurisdictionem clerico nefas ſit; quum non cenſeatur hoc Privilegium perſonale cui renunciari valeat, ſed toti collegio clericorum indultum in Milevitalenſi & Carthaginienſi Conciliis; quamobrem ea prorogatio etiam juramento munita non ſuſtinetur; ut Piſano Archiepiſcopo ſcribens Innocentius III. decrevit *in cap. ſi diligenti 12. de Foro compet.*



AD



AD RUBRICAM DECRETALIUM GREGORII IX.

De Sententia Excommunicationis.

I.



Xcommunicatio, ex iis armis eſt, quibus ſe formidandam præbet Eccleſia; Eam tamen trina debet præcedere monitio. Sic ſtatuit generale Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. *in cap. ſacro de ſentent. excomm.* Quod tamen non procedit in excommunicationibus a jure impoſitis: Quæ nulla prævia monitione delinquentes illaqueant & obſtringunt.

II.

Talis eſt excommunicatio canonis *ſiquis ſuadente diabolo* 17. *quæſt.* 4. lata ab Innocentio II. in Concilio generali Lateranenſi II. anno 1139. in eos qui violentas manus iniicierint in clericos; qui ſtatim ipſa legis virtute ſubiacent anathematis vinculo: Et nullus Epiſcoporum eos poterit abſoluere, donec Apoſtolico conſpectui præſententur, ejuſque ſuſcipiant mandatum.

III.

Tales etiam ſunt illæ viginti in caſibus latæ excommunicationes, quæ in Bulla Cœnæ comprehenduntur: velu-

veluti in hæreticos & ſchiſmaticos. Itemque in eos qui bona naufragantium Chriſtianorum auferunt, quam ſævam rapacitatem cohibere jam pridem tentarunt Gregorius VII. in *Concilio Romano can.* 5. Paſchalis II. in *Concilio incerto can.* 9. Honorius II. epiſtola 67. Alexander III. in Concilio Lateranenſi III. habeturque ejus conſtitutio *in cap. excommunicationi* 3. *de Raptor.* aliique Summi Pontifices, ſed hujus excommunicationis abſolutio non erat Romano Pontifici reſervata, prout jam in §. 4. *Bullæ Cœnę* reſervata noſcitur.

IV.

Excommunicatio quæ *hominis* dicitur publicationem exigit, juxtà formam præſcriptam ab Honorio Papa, quæ ſatis luculenter exprimitur *in can. curæ ſit XI quæſt.* 3. & ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi. habeturque *in cap.* 1. *de ſentent. excomm. in Sexto.* Atque in eum finem præcipuè tendit ejuſmodi publicatio ut excommunicatum omnes evitent. Impuné tamen nonnullis verſari licet cum excommunicato, in caſibus, eo pervulgato carmine comprehenſis.

Utile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

V.


Ex effectibus ſpiritualibus, qui ab excommunicatione promanant, plurimi ducitur ille; ut excommunicatus ſacra peragens myſteria notam incurrat irregularitatis; ſic Gregorius IX. haud obſcurè inſinuat *in cap. ſi celebrat de Clerico excomm. celebr.* dùm ab irregularitate ſolùm vult excuſatum miniſtrantem clericum excommunicatione minori ligatum. Magni quoque momenti alter eſt effectus, nimirùm ut excommunicatus incapax beneficii Eccleſiaſtici ſit. Alexander III. *in cap. poſtulaſtis & in cap. propoſuit de Clerico excomm.* neque

ejus

ejus fructibus gaudeat; Innocentius III. *in cap. pastoralis 53. §. vrrum de Appellat.* Imò proventuum Ecclesiasticorum ipso jure privatum esse excommunicatum, cum Covarruvia *Libro 3. var. Resol. cap.* 13. *num.* 8. defendimus.

VI.

Ex effectibus excommunicationis, qui humani dicuntur, ille ad correctionem incitat quam maximè, quòd excommunicatus tamquam Æthnicus sacramentorum participatione privatur; Et quamvis legitimum cum excommunicato matrimonium dicat Innocentius III. *in cap. significastis 6. de eo qui duxit in matr.* illicitum tamen est si fuerit excommunicatio denunciata, ut textum accipit Sanchez *Libro VII. de matrim. dispur. XI.* Itemque id efficit excommunicatio ut in Judicio excommunicatus esse non possit, sed sit excludendus etiam parte non opponente, ut decernit Innocentius IV. *in cap.* 1. *in fine de Except. in Sexto.*





AD RUBRICAM DIGESTORUM

De Constitutionibus Principum.

I.



Escripta Principum juri semper conformia præsumuntur; & contra Jus impetrata, contra Principis voluntatem impetrata creduntur; L. *rescripta Cod. de precibus Imperatori offerendis.*

II.

Generalis concessio Principis facta intelligitur absque tertii privati, seu communitatis præjudicio L. 2. §. *merito ff. nè quid in loco publ.*

III

Solus Princeps de dubiis ortis super privilegio à se concesso cognoscit, cujus est estimare quem modum sui beneficii esse velit L. *ult. Cod. de legib. & constit. Princ. & edict. L. Neratius* 19. *in fine ff. Reg. Jur.*

IV.

Princeps legibus solutus est quoad vim coactivam ut intelligitur *Vulpianus in l. Princeps* 31. *ff. de Legib.*

non

non quoad vim directivam, prout accipiendum eſt; Quod ſcribitur *in l. digna vox Cod. de legibus.* ubi Theodoſius, & Valentinianus Imperatores hæc pronunciant: *digna vox eſt majeſtate Regnantis legibus alligatum, ſe Principem profiteri.* Atque hac diſtinctione utrumque textum conciliari defendimus.

V.

Privilegium a Principe conceſſum, tametſi inſertum exiſtat in corpore Juris, adhuc tamen privilegii conditionem retinet, neque efficitur conſtitutio, *ut cum Lelio Mancino Genial. centuria 3. cap. 223. defendimus.*

VI.

Quemadmodum neque interloquutoria ſententia Principis jus facit, niſi eo animo interloquatur, ut jus novum conſtituat, ut cum Brunnemanno defendimus *ad l. 1. de ff. de conſtit. Princ.*



THE-



THESES ALIÆ

Mixtim ex variis Titulis Depromptæ.

I.



Omicidium proditorium, privat illud committentem Immunitate Ecclesiæ. Estque homicidium proditorium, cùm specie amicitiæ vita eripitur.

II.

Onus solvendi Decimas, reale est, & sequitur fundi possessorem. In optione tamen Ecclesiæ est, quem velit convenire, novum an antiquum possessorem pro Decimis præteritis; ut loquitur Augustin. Barbosa *in cap. tua 26. de Decim. num.* 13. Licèt non obligari novum possessorem fundi, ad solvendam decimam fructuum præteritorum statuat Passerinus ad Tit. de Decimis *in 6. Decretal. quæst. unica, articulo XVI. num.* 428. *&* *Suarez Libro* 1. *de Decimis cap.* 38.

III.

Jurans usuras soluere, juramentum adimplere tenetur; Sed creditor ad usuras restituendas, est Ecclesiastica severitate compellendus. Ad Textum in cap. debitores de Jurejurando.

Res,

IV.


Res, me inconſulto, ex pecunia mea empta, nec mea efficiiur, nec a me poteſt vindicari. *ut defendimus cum Covarruvia libro* 1: *Variar. cap.* 7.

V.

Nemini licet vi rapere, vel rem immobilem vel ſe moventem, licèt ſuam eamdem rem exiſtimet.

V I.

Furti tenetur ille etiam qui furtum non fecerit; Qualis eſt is cujus ope & conſilio furtum factum eſt.



DIS

DISPUTABUNTUR PUBLICE
In Schola Magna Piſani Lycæi.

Anno Domini 1718. Menſe Decembris. Die 17. Hora 16.



Annuente Illuſtriſſimo ac Clariſſimo Domino, D. Nicolao Antinori Patritio & Senatore Florentino, Illuſtriſſimæ ac Sacræ Religionis Divi Stephani, ſummo Præſide & Priore meritiſſimo, Regiæ Celſitudinis Coſimi tertii Magni Hetruriæ Ducis intimo Conſiliario, Generali Cauſarum Auditore, & Piſanæ Univerſitatis Moderatore vigilantiſſimo.



DOMINI ARGUENTES ERUNT.

D. Abbas Michael Angelus Froſini Patritius Piſanus, Illuſtriſſimæ & Sacræ Religionis Divi Stephani Eques.

D. Abbas Felix Maria Cancellieri Patritius Piſtorienſis, Academicus Inexpertus.

D. Abbas Uguccionus Uguccioni Patritius Florentinus; Almi Collegii Ducalis Alumnus.

CÆTERIQUE VOLENTES.

